

Princeps in summi Pontificis tradidit potestatem .
 Data igitur ipsi Ottoni potestate fandi , promisit
 Pontifici & invictissimo Duci adire patrem suum
 Federicum , & ad pacis fœdera ipsum inclinaturum:
 quod si non consenserit pater , statim uti captivus
 reversurus promittit , quod tam summo Pontifici ,
 quam inclyto Principi , ac omnibus aliis placuit .
 Accessit ergo filius ad patrem , ipsumque hortatus
 est pacem tam cum summo Pontifice , quam cum
 Venetis inire . Ob quam rem Federicus deposita om-
 ni elatione , summa animi sui benignitate Venetias
 venit , ubi tam ab ipso Pontifice , quam ab Eccl.^m
 Duce & Venetis susceptus est , & in primo ingres-
 su Ecclesiæ S. Marci Evangelistæ reddita per ipsum
 Imperatorem Federicum debita reverentia Pontifici ,
 firmata fuit inter eos perpetua pax .

943) Quibus peractis , summus Pontifex Alexan-
 der III habuit sermonem , & maxime Deo gratias
 egit , postmodum dignissimo Duci ac Venetis , qui
 in honorem S. Matris Ecclesiæ tam excellentissimum
 opus pacis gessissent . Et ne de tam præclaro ben-
 ficio successores sui immemores & ingrati essent ,
 voluit ipsum Clariss.^m D^m Ducem ac ipsius Suc-
 cessores de cunctis honoribus S. Matris Eccl.^e pluri-
 mum fore participes : & ideo suæ honorabili Basili-
 cæ B. Marci Evangelistæ civitatis Venetiar. glorio-
 sissimi protectoris , in honorem & gloriam ac salu-
 tem omnium animarum , omni anno in perpetuum
 plenissimam indulgentiam concessit , dicens , quod
 qui personaliter a primis vesperis vigiliæ Ascensio-
 nis , usque ad secundas diei , confessus et contritus
 devote visitaverit , tam a pœna quam a reatu sit
 liberaliter & totaliter absolutus . Et quicumque etiam